Cesareo
De Petronii Sermone

DE PETRONII SERMONE

SCRIPSIT

I. A. CESAREO

ROMAE
APUD BOCCAS

MDCCCLXXXVII.

Roma, 1887 — Tip. della Camera dei Deputati (Stabilimenti del Fibreno).

I.

Non eruditis omnibus, qui claro ingenio Petronii reliquias illustraverunt, satirarum sermo aeque mirabilis visus est. Alteri barbarismos et idiotismos fragmentorum, ut latinae eloquentiae parum congruentes, diffamaverunt; alteri nitorem et elegantiam petronianae orationis commendaverunt summis laudibus.

Acerrimus omnium, Hadrianus Valesius in dissertat. de cena Trimalc. quae in fragmento traguriensi inveniuntur monstra sermonis, inconsiderate vituperat, negatque tam exquisito scriptori tam mendosam scripturam esse adiudicandam. Petronius, ut ille affirmat, verbis utitur usitatis. At hic occurrunt portenta verborum, quae si quis Petronio tribuere potest, Petronium et linguam latinam minus novit.

Valesio tamen, qui cenae editori, ut iuveni ignoto, fidem non esse adhibendam censebat, eiusque pugnaci socio, Christoforo Wagenseilio, qui multo insolentius agens, cenae fragmentum inepti alicuius homuncionis esse abortum iurabat, Marinus Statilius fervida doctaque

responsione futiles adversariorum obiectiones evertit. Non nulli in satiris exstant amanuensium errores; monstra verborum non aliud esse videntur, nisi nova quidem vocabula, sed e fonte latino graecove apte deducta; permultis vocibus, quas rusticas et singulares critici existimabant, Horatius vel Cicero vel Catullus non semel usi sunt. Ita Statilius stolidum impetum criticorumque oppugnantium inscientiam maturo iudicio repressit, ut deinceps elegantiam, urbanitatem, lepores et veneres, quae non in uno fragmento, sed per omnem libellum elucent, oculis omnium subiiceret.

Petrus Burmannus, postquam priscae eloquentiae et munditiae petroniana vestigia quam maxime commendavit, corruptelam sermonis subtili iudicio Petroni adscribere conatus est; qui in colonia campana, Neapoli, ut ego arbitror, abiectos collibertos, ebrios centonarios, magistros prae suas literas fatuos, semigraecos sua stribligine et balbutie notabiles, diligenter effingit. Quod si pauca quaedam hic illic occurrunt, etiam in parte ubi Petronius ipse sui sermonis est auctor, quae nullo veterum exemplo approbari possint, facilis est illi responsio, cum nullus sit in omni antiquitate scriptor, qui non sibi quaedam propria et peculiaria tam in vocibus singulis, quam in universa dictione, habeat. In Livio patavinitatem deprehendebat Pollio; de Ciceronis singularibus librum scripsit Statilius Maximus. Propterea, ut ego suspicor, petronianum eloquium valde inaequale Tiraboschius noster agnovit; improbum ac maculosum vituperavit Voltairus mordax; irrisit nulla prorsus sollicitudine dignum Leclercus.

At vero hae satirae nunquam laudatoribus caruerunt, viris doctissimis. Arbiter leporum, et salsus pater et salax

iocorum et auctor purissimae impuritatis vocatur a Iusto Lipsio Petronius, quem Gonsalius de Salas virum inlustri ingenio praeditum, summa doctrina excultum poeticaque facultate divinum proclamat. Caeterum non nullae in reliquiis, quae supersunt, parum pudicae, fatendum est, narratiunculae occurrunt dispersae, et quae fortassis castas aures haud immerito offendant. At meherculse (ideoque Burmannus virum sanctissimum appellavit Petronium) sui aevi flagitiis, in quae invehitur, illud potius, quam impudentiae suae, erit imputandum; etiamque ingenii praestantiae et incomparabili eloquentiae scriptoris. Guirandus Alosianus Petronium laudat, quia multa placent in satiris, sive defaecati sermonis puritiam spectes, merus lepos, sive priscas negotiorum formulas, multae et elegantes. Optimus et singularis iudicii poeta videtur Petronius Caspari Barthio; artifex voluptatum Theodoro de Iuges; inter omnes quotquot satiras scripsere, speculator sagacissimus auctori praefationis quae editioni parisinae anni MDCLXXVII praefigitur. Nemo lepidius populi mores maioreque studio et animi candore, quam Petronius, ostendit.

II.

Petronius, mea sententia, auctor fuit, ut suo tempore, quo corruptela latini sermonis infecerat etiam eruditos scriptores, omnium elegantissimus. Scio equidem non omnia in sermone Petronii sana perfectaque esse; quoniam barbaries, quae diu inter plebem Reipublicae invaluit, sequioribus Imperii saeculis ita delevit purum sermonem, ut omnis scribendi munditia pene evanuerit. Nihilominus qui diligenter in petroniani sermonis investigatione versatur, hoc primum animadvertet, Trimalchionem cum semigraecis libertis et sua familia rusticis graecanicisque uti vocabulis, quae non Encolpio et Ascylto ex decoro tribuuntur; Agamemnonem praeceptorem et Eumolpum poetam turgida et affectata oratione disserere, quae in Circen non accidit, candidam etsi ornatam mulierem; ad summam, duro inquinatoque sermone imam plebis sordem, urbano castigatoque honestiorem classem sibi placere. Quamobrem haud imperitia latinitatis Petronium tam varias loquendi adhibuisse rationes, immo ingenii subtilitate, ut viva veritas eniteret narrationis, ego mihi persuadeo.

Ad artificiosam corruptelam Petronii etiam accessit, ut amanuenses erroribus consperserint satirarum fragmenta, minime quidem auctori tribuendis. Non nulla a viris egregiis emendata, multa a multis temere tentata, a nullo adhuc explicata fuerunt. Ut autem nemo victas

unquam dare voluit manus, ita qui ad exitum non perduxerunt difficiles interpretationes, in corruptelam manuscriptorum potiusquam in suam inscientiam statim contulerunt culpam. Ne longus sim, Hadrianique Valesii proferam in pleraque vocabula non modo apud aevi medii scriptores sed etiam seculi Augustei occurrentia obiurgationes, Franciscus Buecheler, editor satirarum diligentissimus, indici sordium glossematumque libelli multa immiscere non timuit, quae apud Lucilium Liviumque Ciceronemque saepe inveniuntur. Ecce, exemplis confirmo sententiam: Petron. satir. et libr. Priapeor. tertium edidit Fr. Buecheler, Berolini, MDCCCLXXXII.

Adventicia (90), allusio, fertur in Glossis, ad cenae praebitionem, quae adventoria dicitur. Attamen exstat exemplum SUETON. *Vitell.* " famosissima super caeteras cena ei data adventicia a fratre „ et CICER. " bona adventicia. „ Verum interpretes hic erravisse haud dubium mihi videtur. Nam adiectivum illud, quod cenae, doti, pecuniae, vulgo coniungitur, ego censeo per ironiam abstracta significatione cuiusquam inopinatae molestiae hic esse adhibitum. Encolpio nimis amare respondet poeta: " quoties theatrum, ut recitarem aliquid intravi, haec me adventicia excipere frequentia solet. „ Et eadem illusione de Eumolpo recitante, in quem lapides mittunt spatiatores, dictum est (cap. 90): " at ille, qui plausum ingenii sui noverat, operuit caput. „ In balneo is vapulat, quia conatus circa solium sedentibus carmen recitare (cap. 92). Et ipse non semel quaeritur, quia

sola pruinosis horret facundia pannis
atque inopi lingua desertas invocat artes (cap. 83).

Quid, si quocumque iret poeta, cenam adventiciam reverens apponebat populus? **Ambubaia** (74) occurrit in

HORAT. *satir* 1 2: " ambubaiarum collegia " et in SUETON. *Ner.* XXVII: " ambubaiarumque ministeria. " Quod in singulari numero non invenitur nisi apud Petronium, argumentum est fatuum. **Au au** (67) habes saepe in comicis: TERENT. *Eun.* V II 60: " au, tace, obsecro " et passim; PLAUT. *Mil.* II II 62 " au feriatus ne sis. " **Bella** (58), **bellissima** (25), **belli** (68 78), **belle** (46), haec omnia inveniuntur apud CICER. *Att.* V 17: " locum esse bellissimum " et passim apud CATULLUM, PLAUTUM, TERENTIUM. Bellus autem non est idem ac pulcher, sed aptus, commodus, idoneus. **Bene mane** (85), apud CICER. *ad Att.* IV: " bene mane haec scripsi " et passim invenitur. **Conceptissimis** *iuravit verbis* (113, 133) est in CICER. *Cluent.* IV: " conceptis verbis peierare " et in PLAUT. *Cistell.* I 100: " conceptis iuravit verbis. " **Congemuit** (23, 100) invenitur apud CICER. *Mur.* XXV: " congemuit senatus frequens " et SUET. *Tib.* XXIII: " velut impar dolori, congemuit. " **Diaria** (24): cibus unius diei. Invenitur etiam apud HORAT. *ep.* I 14: " cum servis urbana diaria rodere mavis " et apud CICER. *Att.* VIII 14: " Caesar iis diariis militum celeritatem incitat. " Vox est infimae latinitatis diarium eadem significatione: cfr. *Lib. miracul. S. Joannis Abbatis Reomaensis,* 7: " nil diarii prorsus sumebat " **Divina** (6) saga pro arbitrio explicatur a Buechelero in ind. edit. min. Sed divinus, divinandi et praesentiendi vim habens, invenitur etiam apud CICER. *Fat.* XIII: " falli sperat Chaldaeos, ceterosque divinos " et apud HORAT. *sat.* I 6: " assisto divinis. " Adde LIV. I 36. *Gaudimonio, felicitate* **Dissilio** (61 75) eadem translata significatione exstare mihi videtur apud HORAT. *ep.* I 18: " gratia sic fratrum geminorum Amphionis atque Zethi dissiliit " hoc

est repente dissoluta est. **Furcifera** (132) ut in virum CICER. *Vatin.* VII: " id tu tibi, furcifer, sumes? " et TERENT. *Eun.* V II 22: " debeam, credo, isti quidquam furcifero? ita in mulierem recte Petronius utitur. **Hilaria** *mera sint* (61) pro die quem in honorem Isidis matris deorum Romani celebrabant, ab hilari, tamquam laetitiae exordium, etiam scripsit MACROB. *Saturn.* I 21: " simulatione luctus peracta, celebratur laetitiae exordium a. d. octavum Kal. Apr. quem diem hilaria appellant. " Quam vocem vulgo a popello urbis provinciaeque esse adhibitam, etsi desint exempla castigatorum scriptorum, ego mihi persuadeo. Ceterum ne inveni quidem in DU CANG. *Glossar. mediae et infimae latinitatis.* *Magnam* **mantissam** (65) habes in LUCIL. fragmento apud Fest. " mantissa obsonia vincit. " **Mapalia** (58) homines negligentes explicat Buecheler, dum in VERG. *Georg.* III 340: " et raris habitata mapalia tectis " et LIV. XXIX 31: " familiae aliquot cum mapalibus pecoribusque suis " pro casulis invenitur. Narratque SALLUSTIUS, *Jug.* XXI: " aedificia Numidarum agrestium, quae mapalia vocant. " Verbum est e punica lingua, sed in civitatem receptum romanam. Addit Festus mapalia dici de iis qui inordinate vivunt. Fac ita esse: hic vero non sane quadrat. Magister iubet discipulos recta ire domum, et casulas non numerare; hoc est non subsistere in via: quid autem significet numerare homines negligentes, equidem non intelligo. In DU CANG. *Glossar. mediae et infimae latinitatis* monet Carpenterius hanc vocem Vergilio aliisque Latinis eo intellecto notam fuisse; atque adeo a Glossario amandandam. *Non* **micam** *panis* (42), ut est apud CATULL. carm. LXXXVI: " mica salis " sed sola mica pro pane modico verbum videtur corruptae latini-

tatis. *Alienum* **mortuum** *plorare* (54). Invenitur apud CICER. *orat.* I 57: " defensionem testamentorum, ac voluntatis mortuorum. " **Mundum** *frigus habuimus* (41) id est haud pluvium et lutulentum. Per similem metaphoram canit OVID. *Fast.* III 668: " Pauper sed mundae sedulitatis anus. " *Sive* **planus** (82), **plani** (140). A Plano tricone, de cfr. vid. HORAT. *Ep.* I 17. Invenitur apud CICER. *Cluent.* XXVI: " ille planus improbissimus. " **Pullarius** (43), παιδεραστής explicatur a Buechelero glossisque Philoxeni. Quid ita? Qui e pastu pullorum captat auspicia vocatur pullarius a CICER. *Divin.* II 34: " attulit in cavea pullos is qui ex eo nominatur pullarius " et a LIV. x 40: " consul pullarium in augurium mittit. " *Post te non* **respicis** (57). Est CICER. in *Tusc.* v 2: " tam longe retro respicere non possunt. " *Largior* **scaena** (117) pro apparatu, specie, ostentatione cuiusquam rei, invenitur apud APULEI. SUETON. et TACIT. *Ann.* XIV 7: " scaenam criminis parare. " **Sicca sobria** (57) usi sunt per metaphoram et CICER. in *Acad.* IV 27: " dormientium et vinolentium et furiosorum visa imbecilliora esse, quam vigilantium, siccorum, sanorum " *id. ibid.* " eadem approbatione faciunt, qua sobrii " et PLAUT. in *Asin.* V II 6: " meum virum fui rata, siccum, frugi, continentem. " *Cui* **vecturam** *debemus* (101) pro traiectu invenitur apud CICER. *ad Att.* I 3: " misimus qui pro vectura solveret. " Ita Caesar, *de bello gall.* v 8: " vectoria navis. "

III.

Non nulli interpretes, quum dubia satirarum vocabula in notis glossariis frustra quaesivissent, aut inexcogitata linquebant, aut temere, ut ad suas conformarent explicationes, codicum lectiones distorquebant; quapropter pro uno verbo mille fuerunt coniecturae, mille sententiae, minime vero credibiles. Quaedam derivata, si parum digna limatae orationis, tamen in satiris iterum iterumque occurrentia; quaedam copulata, si nequaquam ad regulam, saltem e sanis communibusque vocabulis; quaedam rustica, obscura, semigraeca vel plebeia, si prorsus corrupta, alioquin non iniuria tributa loquentibus; haec omnia viri egregii non investigare, immo irridere et vituperare conati sunt.

At minus culpanda antiquorum interpretum inscientia quam recentiorum negligentia mihi videtur; quibus permagnam auxiliorum copiam inventa suppeditant hodiernae philologiae. Non equidem, quod deus avertat, illos doctissimos viros, I. C. Orellium, G. Studerum, G. Wehlium et O. Kellerum arguere cupio; quorum Orellius erudito iudicio non pauca satirarum glossemata in lection. petron. dilucidavit; Studer Petronii et Senecae comparatis mirabili diligentia sermonibus, novum attulit lumen studiosis petronianae eloquentiae, in Rhein. Mus. serie II, MDCCCXLIII; Wehlius et Keller coniecturas non irritas de verbis satirarum duxerunt. Si tamen opus copiosius de-

scriptiusque fuisset, nec alteris ineptus, mendosus et pene barbarus auctor videbatur Petronius, nec alteris pater elegantiarum, cuius a satiris sola si abesset obscoenitas, nemo felicius manum ad scribendum adpulisset.

Mirabilis autem et fere divinus non sermo in satiris, qui haud dubio corruptus, sed mihi stilus videtur; hoc est, ut ita dicam, deliberata et perfecta concordia inter dicendi genus, modo humile, modo elatum, et narrationis personas, modo abiectas, modo exornatas. Sermo quidem in ore collibertorum plebeium, servorum rusticum, illiteratorum maculosum, graecissantium graecum est, ut convenit; praebetque plenum et perfectum illius latinae linguae vulgaris exemplar, a quo post Imperii romani ruinam, novae dialecti duxere originem, quae hodie romanae vel neolatinae vocantur.

In hoc novitas, quaecumque sit, mei laboris consistit. Qualis speculator in filiae vultu curiosus matris lineamenta adeo scrutatur, ut illa visa, hanc facile agnoverit, talis et ego, vocabulis quae in satiris exstant obscurioribus cum subsequentibus suis novarum dialectarum comparatis, horum auxilio in pristinam significationem illa restituere studui. Non semper acu rem tetigisse polliceor; nisi tutus effectus, tamen methodus mihi excellens videtur: melius faciat qui potest.

Quam methodum, etiamsi opus minime consilium aequaverit, Nicolaus Ignarra, vir doctus et antiquitatis latinae valde peritus, in dissertatione erudita de palaestra neapolitana expertus est; qui ex idiotismis neapolitanis eum, qui satiras scripsit, prodi neapolitanum deliberavit. Iam vero apud veteres comicos occurrunt quidem illiberalia dicta et obscoena convicia; sed petroniana sic ad neapolitanae plebeculae gustum composita illi videntur, ut mirum ni

scurra neapolitanus scribenti Petronio adfuerit. Sane qui petronianam licentiam cum vulgi neapolitani licentia contulerit, vera illum dicere comperiet.

Sed et idiotismos non nullos ipse deprehendit in satiris, Italiae reliquae pene incompertos, at Neapoli frequentissimos. Dicitur de Safinio (cap. 44) " piper non homo " et hodiedum pariter qui sagacitate, alacritate et acumine valet, totus esse piper (*è tutto pepe*) laudatur. Contra, qui crassa minerva est, nec assurgit unquam, nec incalescit, is vulgo esse terrae tuber voce corrupta (*taratufolo*) insimulatur; nec secus apud Petronium (cap. 58) Giton a colliberto Trimalchionis " terrae tuber " traducitur. Praeterea est uti Arbiter dialecto prorsus neapolitana decurrat. " Manuciolum de stramentis factum " invenitur in Trimalchionis narratione (cap. 63). Perreptet aliquis quantum potest Latium sursum deorsum, certe nullibi vocabulum illud manuciolum pro manipulo expiscabitur. At si Neapolim divertet, statim intelliget, ibi adhuc petronianum manuciolum (*manucolo*) leviter deflexum usui esse.

Post haec vir egregius tam diligentes comparationes haud opportune interpellat. Sermonis petroniani reliquiae non modo per neapolitanam, sed exstant per omnes a vulgari latinitate emanatas dialectos: nunc autem in harum speculo illius imaginem invenire conabor.

IV.

In hoc indice vocum quibus Petronius rusticis, corruptis plebeiisque usus est, immutationes vocalium consonantiumque haud excusatas barbarie loquentis emendavi; monstra verborum quae ferunt codices firmis argumentis restitui in integrum; glossemata exemplis, uti potui, explicavi. Cum adhuc incerta videatur aetas Petronii, verba singularia vel infimo aevo communia tribuere satirarum auctori non dubitavi; sermo enim corruptus, nisi in castigatae dictionis operibus, tamen florebat apud urbis provinciaeque popellum iam saeculis proximis a Terentio Plautoque, quibus omnes disciplinas et bonas artes, eloquentiam, picturam, poësim, ita collapsas esse constat, ut omnibus, quibus adhuc ingenuarum artium quidam gustus erat, ipsa vulgaris orationis barbarie, ridiculam vitiorum imaginem exprimendi materia praeberetur.

A

Absentivos (33). Absentivus: diutius absens (Gloss.) Nullum nisi Petronii exstat exemplum. Sic etiam « vacativus » in vita Alex Sever. apud Spartianum xiv, monente Salmasio, et « iacentivae arbores » in legibus Longobardorum.

Abstinax (42). Id est abstinens. Vox a plebecula pro arbitrio formata: sic est « curax » a curando apud Caium; sic est « vigilax » a vigilando apud Propertium. Nullum nisi Petronii exstat exemplum.

Adcognosco (69). Probe cognosco: quoniam *ad* praepositio vim verbo addit. Etiam legitur apud Tertullian. adv. Marcionem iv 20: « quem adcognoverunt daemones » et passim.

Adiutasses (62). Adiuto: frequentativum ab adiuvo: archaismus. Pacuvius in Chrise, citante Donato ad Terentii Adelph. Prolog. « adiuta mihi », ut Schefferus admonet. Apud Terent. Hecyr. iii 2 legitur: « atque his onera adiuta. » Invenitur etiam apud Alcuin. adv. Elipanti epistol. ii, atque Gell. ii 19.

Aecrophagiae (56). Exstat in cod. tragur. « serisapia et contumelia: aecrophagiae saele datae sunt et contus cum malo. » Qui locus est perdifficilis. *Contus cum malo* haud dubio *contumeliae* respondet: quid verum est *aecrophagiae saele?* quid *serisapia?* quomodo huic titulo illa sortitio convenit? Sic ego restitui: « serisapia et contumelia: acrophagiae allatae sunt et contus cum malo. » *Serisapia* est a *seri*, quae apud Varronem genus oleris traditur, ac *sapiendo*: quod seri sapit; cui acrophagiae ingeniose respondit; est enim *acrophagia*, ut Ducange docet, edulium ex summitatibus oleorum, gemmis tumentibus arborum, maximo in usu apud Italos. Legumina quae acropha-

giae appellabantur, non iniuria praenuntiabantur serisapia, quae olere sapiunt.

Aedon (131). Graeca vox: ὁ ἀηδών enim luscinia vocabatur a Graecis; eaque dictione non abstinuit et Lucanus, in Panegyr. « sic et aedonia superantur voce cicadae. »

Aeneolos (73). Aeneolus, deminutivum aenei. Cfr. apud Festum: « aeneolum, quod ex aere sit, dicimus. »

Agaga (69). In Glossis Isidori « agagula » id est lenocinator invenitur. Vox infimae latinitatis quae forte (*gaga*) prava significatione apud Galliae popellum etiamnum exstat.

Aginavi (61). Graeca vox: ἀγίνειν. Aginare, id est μεχανᾶσθαι, festinare, versare, properare, uti interpretatur Labbaeus in Glossis. Docet Reinesius: « Formarunt Graecis ἀγίνεν, ἀγινεῖν αγινέσκειν, quae sunt παρεκτατικὰ vel paragogica τῶ ἄγειν ». Cfr. ital. *agina* et *aina;* hisp. *ahina.*

Alicula (40). Clamydem, venatoriam vestem fuisse observat Victorius in var. lect. II 21. Unde Martialis in epigr. XII 83: « mittebat Umber aliculam mihi pauper. » Ab ala autem origi- « nem repetit, quod, uti docet Velius Longus, alas nobis iniecta « contineat. »

Alogias (58). Alogia: graeca vox: ἀλογία: actio sine ratione. Alogias dixit etiam Seneca de morte Claudii: « citius mihi verum, ne tibi alogias excutiam. » Extat in S. August. ep. aliisque operibus corruptae latinitatis.

Amasiuncula (75). Deminutivum amasiae; quae vox pro puella amata in Stat. Pallavic. II 41 aliisque occurrit infimae latinitatis scriptoribus. Extat etiamnum apud Ital. *amasia* (cfr. Diz. della Crusca).

Amplexaret (63). Amplexo id est amplexor. Accius apud Non. VII 14: « amplexa. » Plaut. in Poen. V 4 60: « hanc amabo atque amplexabo. » Vox archaica, quae in scriptis mediae latinitatis etiam invenitur.

Anathymiasis (47). Graeca vox: ἀναθυμίασις. Exhalatio est; hic autem de ventris flatibus intelligenda. Saepe invenitur apud

medicos corruptae latinitatis, Guarimpotum, Sylvaticum atque Campanum.

Anatinam (56). *Anatina* pro carne anatina rustice hic dicitur. Ita Iustin. XIX 1: « canina; » ita « ferina » in Vergil. Aen. I 215, et ita passim. Andacter F. Oriolius in Opusc. lett. bologn. I 114 hic Trimalchionem qui saepe audiverat solemnem illam a medicis dicendi rationem, qua utuntur in describendis remediorum compositionibus, ridicule putasse anatem indicari coniectat.

Anteschólarius (81) Ita restituit Orellius p. 7 ex inscriptione suae collectionis 1175. Proscholus sive subductor.

Apoculamus (62). Apoculo: ab oculis me removeo, discedo: graeca vox: αποκυλίειν.

Apodixin (132). Apodixis, libellus, quo ostendit quispiam se defunctum esse; hic remissio senilis aetatis (GLOSS.) Cfr. Cuiac. in Cod. X 22, de apochis publicis; et Gronov. in observat. IV 13, quos consule. Etiam exstat apud infimae latinitatis scriptores in Ducangii Lexic. med. et inf. latinitat.

Apophoreti (40). Graeca vox: ἀποφόρητον, pro munere e convivio ferri solito. Exstat in scriptoribus mediae et infimae latinitatis.

Arbor (114). Pro malo navis poetice dicitur. Exstat in scriptis infimae latinitatis. Apud S. Gregor. M. dial. III 36: « ex navi clavis perditis arbor abscissa est » et in hodiernis dialectis, ital. *albero della nave*, gall. *arbre du navire*, hisp. *arbol del navio.*

Archisellium (75). Princeps sedes: occurrit in notis quae Tironi aut Senecae adscribuntur.

Arietilli (39). Deminutivum ab arietibus. Docet Reinesius: « Contemtim sic vocat scholasticorum discipulos, tamquam petulantes, feroces et incursaces, vel etiam tamquam hebetioris ingenii stupidos et simplices. » « Cicer arietillum » adiectiva significatione invenitur apud Columellam, II 10.

Athla (57). Graeca vox: ἆθλα. Munera sunt quae victoribus certaminum publicorum dabantur. Etiam invenitur apud Ampel.

lib. memor. « Sunt, qui dicant Herculem et Thesea, quod similia athla sunt adepti. » Apud Manil. passim sunt opera, res, labores, et quicumque casus in vita umana contingere possunt.

Aucupes (40). Qui aves captant. Nullum nisi Petronii exemplum exstat.

Audaculus (63). Deminutivum ab audaci. Apud Gell. v 21: « reprehensor audaculus verborum » et passim.

Automatum (50). Graeca vox: machina quae sua sponte moveri videtur: apud Suet. Claud. xxxiv: « automatum vel pegma, vel quid tale aliud ». Quaedam editiones habent graece automaton. Ita in satir. cap. 140: « sororis suae automata, » hoc est motus sororis, quae per se videbatur saltare.

Est etiam adiectivum pro spontaneo: apud Serv. ad i Aen. 724: « automata Venus ». Ita in satir. cap. 50: « plausum post hoc automatum familia dedit ».

B

Babaecalis (37). Gronovius in ep. ad Heins. censet hanc vocem ex Arnobio Salmasiano iv haustam esse; quia « babaeculi adolescentes » pro libidinosis ibi memorabantur.

Bacalusias (41). *Bacalusia* id est inepta ratiocinatio: quae vox quid sit ignoro; haud dubio duplex: a *bacca* et *lusu* caricas interpretabatur Oriolius, p. 13. Buechelerò persuasum fuit in mente habuisse Petronium *baucalesis* a βαυκαλήματα, graeca voce qua naeniae nutricum vocantur. Fortasse a *bacare,* vini scypho apud Festum, et *lusu*: èbriam significans cogitationem.

Bacciballum (61). Cum Buechelero opinor hanc vocem haud dubie recte traditam esse ad plenam rotundamque formam designandam; a *baccis* derivat illam Oriolius. Tamen suspicor e *bacca*, uti caro fortasse rustice vocabatur, et *ballo*, quod pilam plebeio sermone significabat, ortam. Cfr. sicul. *bacchiara,* subpinguis et παλλα, ital. *balla.*

Balaenaciam (21). Balaenacia id est ex balaena facta. Nullum nisi Petronii exstat exemplum.

Baliscus (42) Vel *balineum* legatur, ut apud Plin. ep. II 17: « balineie cella frigidaria » vel *balineus,* uti mihi restituendum videtur. Cfr. inscription. apud Marin. frat. Arv. 532: « balineus lavat more urbico ».

Barbatoriam (73). Barbatoria exstat in Glossis Stephani et Labbaei: idem sonat ac barba. Barbae recisio est apud Forcellinium. Ducange ad Gregor. Turonens. Hist. x 6, ubi accusatam abbatissam Pictavensem, *quod vittam de auro exornatam nepti suae superflue dederit, barbatorias intus eo quod celebraverit,* ludicram festivitatem explicat. Cfr. gall. arch. *barboire.*

Barbis (99). Pro barba. Etiam invenitur apud Apulei. in Metam. IV: « Portunum caerulis barbis hispidum. » Cfr. hisp. *barbas.*

Barcalae (67). *Babaculae* a Ducangio legitur, quae sunt babuli, baburri, stulti, inepti; *baceli* a Scheffero; *berbeculi* a Reinesio; *barculae* quasi viri uxorii ex βάρκη pudendis, ab Antonio; *bariculi* ab Oriolio, p. 41.

Bifurcum (62) Bifurcus substantive usurpatus est furca crurium seu potius inferioris maxillarum partis usque ad gulam. Cfr. Veget. in art. veterin. II 40: « duae a capite venae descendunt, et conveniunt se sub maxillis ad gulam, inde a geminis venis inferius quatuor digitis ferramentum deprimis, ne in gulam mittas et bifurcumt angas, et iumentum occidas. »

Besalis (58). Id est bessalis, a besse deductum. Apud Vitruv. V 10 e 7: « laterculis bessalibus pilae struantur. » Apud Martial. VIII 71 « bessalis scutula ».

Bisaccio (31). Bisaccius: vox rara apud melioris notae scriptores; retinent tamen a latino plerique sermones, qui romani neolatini hodie appellantur; ut supra dictum est.

Bonatus (74). Bonus, commodus, idoneus, gall. *bonasse,* hisp. vel *abonado,* neapol. *abbonatu.*

Botulis (49). Botulus: genus farciminis ex carne vel sanguine animalium. Cfr. Martial. XIV 72: « qui venit botulus? » Quam vocem Gellius in N. A. XVII 7 enumerat inter verba obsoleta et maculantia ex sordidiore vulgi usu. Ex illa tamen ital. *boldone* et gall. *boudin.*

Buccam (44). Bucca pro parte oris interiore vulgo adhibitur apud latinos scriptores. Quid autem in satir. cap. 64: « bucca, bucca, quot sunt hic »? Bucca pro cornicine vel praecone est apud Iuvenal. satir. III 35; sed hoc in Petronii loco *bucca* pro domestico, qui sumptibus patroni nutritur a puero iocose dictum mihi videtur; et eadem significatione Galli *bouche* hodie usurpant. In Chron. Placent. ad a. 1338 apud Murator. R. I. Script. XVI, col. 584: « si unus habet in sua familia novem buccas, et duos roncinos, expendit » etc. cfr. Etiam cfr. testam. I. F. de Gonzaga Mantuae march. a. 1444 in Cod. Ital. diplom. col. 1793, III.

Bucinus (74). Id est bucinator. Bucinus pro bucinatore in Glossis Labbaei quoque invenitur. Gallus gallinaceus ita vocatur, quod illi aeque ut bucinatoribus officium est noctu dare signum. Beda in libr. de Ortograph. « buccina est, qua signum dat bucinator; bucinus, ipse canor ex hac editus. » Cfr. sicul. *bucinaru*, clamator; ital. *bucinare* et *bucinatore;* hisp. *bocinar* et *bocinero*, clamitare et clamator.

Burdubasta (45). Vox petroniana a *burdo,* ut asinus appellatur in XLIX de Legat. III. Ulpian. in l. « item legato » et apud Victor. Uticens. et alios; et refert epigramma vetus:

« burdonem sonipes generat commixtus asellae, »

atque *basta,* quam Ducange in Glossario commemorat: id est asinus clitellarius.

C

Caccitus (63). Iacobsio, Iahnio et Buechelero *catamitus* videtur restituendus; *hyacinthus* Heinsio; *galactites* Wehlio; *cirratus* Scheffero. Equidem hanc vocem plebeio in sermone ex-

stitisse opinor; a qua fortassis hisp. *gachon, gachona*, suspicor derivatas.

Calcitrosi (39). Calcitrosus idem qui calcitro, qui calcibus pulsat. Apud Colum. II 2 ad fin. « retractantem calcitrosumque; » apud Ulp. in Dig. passim.

Caldicerebrius (39). Id est calidi cerebri. E duabus vocibus unum vocabulum continuandum est.

Cantabundus (61). Cantans, a *canto*, ut meditabundus a *meditor*, etc. Claud. Quadr. apud Gell. IX 18: « Gallus sua disciplina, scuto proiecto, cantabundus. »

Canturire (64). Submissa voce cantillare. In not. Tiron. p. 173: « canturit. »

Capsellam (67). Pro capsula. Vox mediae latinitatis. « Capsellae in quibus fructus componuntur » est apud Ulpianum, de instrum. XII.

Cardeles (46). Ita cardueles rustico sermone vocabantur. Cfr. ital. *cardello*.

Caricae (64). Ficus caricae. De Caricis vid. ad Ovid. Metam. VIII, 674; Fastor. 185.

Carnarium (45). Non mihi videtur carnarium antiqua significatione hic intelligi posse; nam tempore sequiore mediae infimaeque latinitatis carnarium pro coemeterio adhibuerunt inelegantes scriptores; ac voce corrupta hic utitur Echion centenarius. Cfr. Ducangii Glossarium.

Cataphagae (39). Cataphaga id est ganeo (GLOSS.) Graeca vox, καταφαγάς.

Catastropha (54). A καταστρέφω, subverto, est subversio, exitus: vox a graecis rhetoribus in latinum translata.

Catomidiari (132). Catomis caedere (GLOSS.) Sic apud Spartianum Hadrianus XVIII: « decoctores bonorum suorum catomidiari in amphiteatro iussit. » Cfr. Gronov. Observ. IV 13.

Cauniarum (44). Caunia est ficus ex Cauna, Cariae oppido, allata Romam. Apud Colum. x 414: « et caunis aemula Chiis. »

Chiramaxio (28). Chiramaxium: genus modici plaustri unius hominis tantum capax, solitum a servis trahi (Gloss.) Graeca vox: χειραμάξιον.

Choraulen (53). Choraule seu choraula ex graec. χοραύλης, est qui ad chori cantum tibia sonat. Abundant exempla apud Martial. Apulei. mediaeque latinitatis scriptores.

Cicaro (46). Hic *cicero* ego restitui, id est cicer. In constit. pro abbat. S. Pauli Narbon. a. 1127, vi col. 33 legitur: « in omnibus quartis feriis pisces vel cicerones cum lardo. » Ab hac voce ital. *cecino*, sicul. *cicireddu*, de puero scitulo delicatas appellationes opinor derivatas.

Cingillo (67). Cingillum: vox plebeia a cingendo. Invenitur et in Glossis Tullii Tyronis, p. 58. Ita etiam « vascillum » apud Macrobium pro parvo vase.

Circitore (53). Circitor: custos fundorum. Invenitur etiam in Priapeis, xvii: « Quid mecum tibi, circitor moleste? »

Circumminxero (57). A circum et mingo. Veteres vero non mingere imo meiere dixisse constat; sed ita rure locutos equidem puto.

Clibano (35). Clibanus: furnus mobilis placentis et panis coquendis aptus, alias a testa ferro, vel aere fiebat (Gloss.) Graeca vox: κλίβανος. Apud Plin. xviii 11: « Panes furnacei, vel arto[illegible] vel in clibanis cocti. » Etiam invenitur apud Columell. v 10 [illegible] apud Cels. ii 17; apud Sulpic. Sev. i 18.

Coaequale (136). Coaequalis: vox infime latinitatis, quae post [illegible] tempora, ut plures aliae, irrepsit. Invenitur etiam apud [illegible] viii 15, et Iustin. xxiii 49.

[illegible] (93). Coctor: qui coquit. In not. Tiron. p. 167: « co[illegible] coctor. »

[illegible] (30). Colaepium: graeca vox: κωλήπια, est femur: quo [illegible] (coliphio) athletae ad vires reficiendas.

Comatoria (21). Quae ad comam distinguendam inservit. Acus comatoria, aut crinalis, calamistratorium. Apud Apulei. Met. VIII: « Acu crinali de capite prompta. »

Comula (58). Deminutivum comae. Legitur etiam apud Commodian. de instr. LX 11.

Concepti (33). Conceptus pro foetu latente est apud Sueton. Domit. XXII: « coacta conceptum a se abigere » et apud Columell. Plin. Scribon. passim.

Convivare (57). Id est convivia facere. Sic Ennius in sat. « Malo Hercle suo magno convivat sine modo. » Sic etiam Pompon. XVI 21.

Consiliator (76). Idem et consiliarius. Apud Phaedr. II 6: « consiliator maleficus. » Quo utitur etiam Plinius, Ep. IV, Lactantius, II et IV, Interpr. Iuven. sat. VII 124. Exstat in Du Cangii Lexic. med. et inf. latinitatis.

Constratum (100). Tabulae, aut aliud quidpiam constratum. Apud Liv. XXX 10: « levia navigia sub constratis pontium per intervalla excurrebant. »

Coptoplacentis (40). Coptoplacenta, graeca vox: κοπτοπλακοῦς, quae ab Athen. XIV 13 inter placentas enumeratur. Adnotat Heinsius: « Coptoplacentae vocabulum conservavit nobis auctor poematii de iudicio coci et pistoris, in Catalectis Pithoeanis: Nos facimus populo studiose coptoplacentas. »

Cordacem (52) Cordax: saltatio indecenter ornata. Apud Cicer. orat. 57, de trochaeo: « cordacem appellat. » Apud Quintil. IX 4 « eique cordacis nomen imponit »; hic enim versus in cordace usurpabatur.

Corrotundata (89). Rotunda facta. Usi sunt hoc verbo et Seneca in quaest. nat. IV 3, et Vegetius passim.

Corymbio (100). Corymbium est muliebre ornamentum capitis. Graeca vox: κώρυμβος. Nullum exstat nisi Petronii exemplum.

Cruciarii (112). Cruciarius qui in cruce vel ea dignus, invenitur etiam apud Apulei. Metam. X, apud Calpurn. Declam. XXII et apud Senec. Controv. III 21: « fecit se similem tyranno, filiam raptis, libertum cruciariis. »

D

Daphnona (126). Daphnon, locum lauris consitum. Graeca vox δαφνῶν. Apud Martial. x 79: « disposuit daphnona suo Torquatus in agro. »

Debattuere (69) Debattuo, idem quod batuo, ex quo debatum pro controversia, gall. *débat*, in infimae latinitatis Charta Alani ducis Britanniae a. 1087 et aliis passim.

Defunctorio (136) Defunctorius est levis, remissus, ex quo defunctorie in Senec. controv. v 31: « defunctorie causam meam egissem? »

Depraesentiarum (58). Vox plebeia adverbialiter sumta. Sic apud Corn. Nepot. V. Hannib. « impraesentiarum. » Nullum nisi Petronii exstat exemplum.

Desomnem (47) Desomnis, idem ac insomnis. Sic depilis, deplumis exstat apud alios.

Deurode (58) « Et qui te primus deuro defecit, » in cod. tragur. *De vivo deiecit* iussit esse Iac. Gronovius, *de cerebro deiecit* Goesius, *de puero* Oriolius p. 33, *nervo desuefecit* Buecheler. *De uro defecit,* ego restitui. Urus enim pro urto vel urvo (quod in Varr. et Pap. pars est aratri quae plicatur, in infimae latinitatis scriptis invenitur, ut in dipl. Caroli C. a. 864 inter Instr. XII: « in bernensi pago vinea una, urus et modilogius; » deficere a *de* privativa et *facio* rustice hic a colliberto adhibitur removendi significatione; hoc est: Athana tibi irata sit, curabo, et qui te primus (*magister tuus*) aratro, ad quod quippe inurbanus natus es, desuefecit.

Deversitor (95). Deversor est qui in caupona deversatur. Nullum nisi Petronii exstat exemplum.

Dignitosso (57) Dignitosus est in dignitate constitutus, multa praeditus dignitate. Apud Aldhelm. de laude Virgin. 28: « propter dignitosam innocentiae palmam » et apud alios infimae latinitatis scriptores.

Discoloria (97) Discolorius est discolor. Nullum exstat nisi Petronii exemplum.

Dispare (46) Id est inaequaliter, in Actis SS. Aprilis II, p. 724.

Domusionem (46) Domusio est usus domi, a domo et usione. Nullum exstat nisi Petronii exemplum.

Donaria (59). Dunaria in cod. Traguriens. Idem quod donum, potiusve adiectivum donarius, a, um a dono. In Charta Richardi Reg. Agl. a. 1192 pro pendat. Monast. Sarmac. Ord. Grandimontensis (Cfr. Ducang.): « pascua, pasuagia, donaria. »

Dupundii (58) Dupundium est moneta romana duos valens asses. Apud Varron. L. L. VIII 49: « hic dupundius et hoc dupundium. » Exstat in infimae latinitatis scriptoribus: cfr. Iustin. in praefat. Digest.

Dupunduarius (58) Ad dupundium pertinens, homo vilioris pretii. Apud Colum. « dupundiarii orbiculi. » Et apud Plin. passim.

E

Elegidarion (109). Idem quod elegidion. Nullum exstat nisi Petronii exemplum.

Embasicoetan (24). Embasicoeta: graeca vox: ἐμβασικοίτης, cinaedus, ab ἔμβασις, inscensus, et κοίτη, cubile. Nullum exstat nisi Petronii exemplum.

Embolum (30). Graeca vox: ἔμβολον, id est rostrum navis. Nullum exstat nisi Petronii exemplum.

Empticius (67). Quod emi solet. Apud Varr. R. R. 3 « hic aprum glans cum pascit empticia. » In Inscript. apud Gruterum MCXI 14 « empticii de suo fecerunt. »

Epidipnis (69). Graeca vox, ab ἐπὶ post, et δεῖπνον, cena. Apud Martial. XI 32: « hic seras epidipnidas parabit. »

Euripo (36). Euripus ab Εὔριπος, qui fraetum est inter Euboeam ac Beotiam; hic per metaphoram adhibetur. Apud Cicer. pro Mur. 17 « quod enim fretum, quem euripum » et passim.

Excatarissasti (67). Vox plebeia a καταῤῥιζόω, id est radices ago formata. Excatarissare igitur est radices extrahere, ac per metaphoram omnem succum, omnem pecuniam auferre. Sic apud Senecam « malacissare » a μαλακίζειν (ep. LXVI).

Exopinissent (62). Exopino, idem ac opinor. Nullum exstat nisi Petronii exemplum.

Expudoratam (39). Expudoratus, absque pudore, qui omnem pudorem perdidit. Nullum exstat nisi Petronii exemplum; multa verum vestigia in hodiernis supersunt dialectis, ut demonstrabimus.

Exsibilavit (64). Exsibilo, sibilum emitto. Apud Prudent. II etiam invenitur: « verba exsibilat. »

Exsonuerant (19). Exsono, idem ac persono. Nullum nisi Petronii exstat exemplum.

F

Fastose (131). Fastosus, id est superbus, fastu plenus. Apud Martial. x 13: « ad nocturna iaces fastosae limina moechae. »

Fericulus (39). Pro ferculo, recte Gronovius Heinsiusque viderunt.

Ferruminati (31). Ferruminatus, participium a ferrumino, ferrumine iunctus. Apud Plin. XXXV 15: « ita ferruminatis Babylonis muris » et passim.

Ferrumine (102). Ferrumen est quoddam quasi gluten, quo ferrum et alia metalla coniunguntur: apud Plin. XXXVI 13: « quod furto calcis sine ferrumine suo caementa componuntur; » apud Pompon. Dig. XLI 1 27: « ferrumine cohaererent. »

Flaturae (45). Flatura, idem ac flatus. Apud Arnob. I 7 « et caeli conquievisse flaturas. » Hoc verum satirarum in loco translate, pro vitae flatura adhibetur.

Fugae (45). Fuga est fugitivus. Sic apud Columell. x 126: « deletura quidem fronti data signa fugarum. »

Fulcipedia (75). A fulcio et pede: vox plebeia, est quae pedibus sese fulcit. Eadem ratione invenitur apud Festum: « acupedius » « acuipedius » « aquipedius » « acipedius, » cui pes in currendo acutior. Buecheler adnotat (ed. min. III): « quae se studet extollere. »

Fuliginea (108). Fuligineus, idem ac fuliginosus, plenus fuliginis. Invenitur etiam apud Arnob. VII p. 254: « fuligineus color. »

G

Garum (36). Graeca vox: γάρον. Docet Seneca in Ep. XCVI: « Garum, preciosam malorum piscium saniem. » Huius condimenti fit mentio in dipl. Chilp. II a. 716, IV Collect. Hist. Franc. pag. 694: « garo modius triginta. »

Gastris (70). Gastrum a graeca γάστρα genus est vasis. Invenitur apud Gargil. de re hort. « sunt qui in gastris... ossa disponunt » aliosque corruptae latinitatis scriptores.

Gaudimonio (61). Gaudimonium id est gaudium. In Epist. XI ex Tegernseensib. « nostri scitote esse gaudimonii. » Occurrit etiam Hieron. in proemio Proph. « gaudimonium eius erit in luctu. »

Gausapa (21). Genus panni ex quo stragula tum mensis tum lectis idonea, et vestes peregrinae fiebant. Exstat in Horat. Sat. II 8, in Ovid. art. amand. II 300, in Plin. N. H. VIII 48 73 aliisque passim; res tamen pretiosa erat nec nisi sub Augusto Romae cognita. Hinc vox Gallica *gauppe*, idem ac scortum; quod hac veste meretrices uti solerent (Ducange) et fortassis hisp. *guapo*, ex quo eadem ratione neapol. *guappo* et *guappa*, homo et mulier nefariis moribus.

Gausapatos (38). Gausapatus est gausapa inductus. Apud Senec ep. 53: « mitto me in mare, quomodo psychrolutam decet, gausapatus. »

Gingilipho (73). Gingiliphus, strepitus in balneo nexis elatus manibus, a γιγγιλισμός. Schefferus *gingilismon* proposuit.

Gizeria (66). Intestina gallinarum: gigeria. Sed a gizeria potius quam a gigeria haec orta sunt novorum dialectorum verba: sicul. *giseri*, gall. *gésier*.

Gracilipes (55). Pedes habens graciles. Hos versus citant Gellius et Hadr. in animadv. VI 15.

Graecúlio (76). « Graeculio, Serapa nomine » in mscr. Neque Graeculio latine pro Graeculo neque Serapa nomen graecum videtur: *Graeculus Serapio nomine* Heinsius recte proposuit.

H

Halosin (30). Halosis, graeca vox: ἅλωσις, est expugnatio. Invenitur etiam apud Sueton. Ner. XXXVIII: « halosin Ilii decantavit » ac apud Dio. L. LXII: « cecinit halosin Troiae, ut ipse dicebat. »

Heredipetarum (124). Heredipeta est qui senum gratias captat, ut ab iis heres vocetur. Sequioribus temporibus idem fuit ac heres proximior: cfr. Leges Henrici I Reg. Angl. 70 in Ducang. Lex. « et nullus heredipetae suo propinquo vel extraneo... committatur. »

Hypogaeo (111). Hypogaeum est cella pro condendis mortuis extra urbem, alias conditorium (GLOSS.) Graeca vox: ὑπόγειον Cfr. etiam Tertull. de anima XXVIII: « respice ad hypogeum. »

I

Indelectatus (87). Non delectatus: a quo gall. *indélectation* (Littré). Sic apud Afran. « incupidus, » apud Apul. « instudiosus, » apud Cyprian. « insincerus » eiusque monetae alia.

Inspeciosus (74). Non speciosus. Eadem significatione « inspeciatus » apud Tertull. adv. Valent. 10 invenitur: « substantia informis et inspeciata. »

Ipsimi (63). Ipsimus, est dominus, ut diligenter illustravit Buecheler (in not. edit. mai): « *ipsumus* vel *ipsimus* et *ipsuma* etiam in posterioribus dominus et domina vocantur. Plautina serva in Casina IV 2 11: ego eo quo me *ipsa* misit, id est domina, ἀυτή. Catullus de passere: suam norat ipsam tam bene quam puella matrem, idem de deliciis suis: mea dulcis *Ipsitilla*. Cum antiquitus *ipse* pyrrichium aequasset *p* littera sic ut in *voluptate* correpta, post adsimilantes *isse* pronuntiabant vulgo. Et Augustus quidem tradebatur legato consulari successorem dedisse: ut rudi et indocto, cuius manu *issi* (non *ixi*) pro *ipsi* scriptum animadvertisset, id quod mirabatur Suetonius (Aug. 88). Sed proximo saeculo doctus Martialis I 109: *Issa* est dedeliciae catella Publi, et compari sono delectatus argute: tabella in qua tam similem videbis *issam* ut sit tam similis sibi nec *ipsa*, id est *issa*. Ibi qui codices *ipsa* et *issa* confundunt, medii aevi malam elocutionem secuntur. Ollae cineribusque puellae inscriptum est: *issa* haue, ut aliis monumentis: anima dulcissima, vel: suauissima haue; in muris Pompeianis legitur: Euge *issa*, et: Aprodite *issa;* Claudiae Gelli et Fuluius: *issae* suae, Aponio trimulo infanti Flauius et Apronia, *issulo* et delicio suo: fecerunt titulum. Non mirum deflexum a reverentia vocabulum esse ad blanditias neque mutatum *ipse* in *isse* si *russum* cum *rursum* aut *passus* cum *pansus* aut *sussulite* cum *supsilite* contendimus. »

L.

Lacticulosus (57). Qui ab uberibus coepit removeri. Habet etiam Ducangius; nullum verum, nisi Petronii, exstat exemplum. Ut a metu, meticulosus, ita a lacte, lacticulosus Habent Glossae veteres. « Avere il latte alla bocca » etiamnum dicitur per methaphoram ab Italis (FANFANI).

Laecasin (42) Ex graeco λαικάζειν, scortari. Cfr. Martial. XI 59: « leichazein cupidae dicet avaritiae; » hic verum λειχάζειν fellare significat.

Lamellulas (57). Lamellula a lamina de argenti aurique massis dicitur. Ita Senec. de benefic VIII 10: « nunc volo tuas opes recognoscere, laminas utriusque materiae; » et id. de vita beata XXI: « sacculum illud, in quo censorium crimen erat paucae argenti lamellae. »

Laniones (39). Lanio est lanius. Apud Paul. de instruct. et instr. II: « cum de lanionis instrumento quaeritur ». Est apud Ducang. e Concil. Hispal. a. 1512 et apud Marten. II Ampliss. collect. col. 1400.

Lanisticia (45). Hoc verbum est de familia dictum quam lanistae emerant ad praeliandum in amphiteatro. Cfr. Suet. Aug. XLII.

Lapidabit (114). Solebant antiqui tumulos lapidibus tegere: hoc Petronius, latino abusus sermone, lapidare dixit. Simili, ut opinor, significatione ille Ducangii Gualt. Herningford. de gest. Eduard. I ad a. 1292, pag. 37 scripsit: « rege itaque novo in lapide posito... semper lapidatus mansit. » Hoc est lapide tectus; quod sub throno lapideo sederet rex.

Larifuga (57) Qui lares reliquit suos: vagabundus, erro. Nullum exstat nisi Petronii exemplum.

Laserpiciario (35). Laserpiciarius est ad laserpicium pertinens. Nullum exstat nisi Petronii exemplum.

Levatores (140) Levator, idem ac latro, a levare, gall. *lever*, *en*]*lever*, furari; *en*]*leveur*, qui aliquid aufert. Nullibi verum istud legere memini.

Linguosus (43) Qui acidae est linguae. Et apud Hieronym. ep. CVIII 20: « linguosam, garrulam et procacem » et apud Cassiodor. August. confess. aliosque mediae infimaeque latinitatis scriptores.

Lupatria (37). Haud dubio a lupa: vel mulier quae lupatur iuvenis, cfr. ital. *lupastro,* gall. *louvart*, parvus lupus; vel quae servos furaces lupinis observat oculis.

M

Maiesto (57). Maiestus, maiestate praeditus, qui Munckero, et ego illi assentior, ab eadem origine, qua Deus Maius, id est Iupiter, et maiestas, et Maiesta, Vulcani uxor, oriri visum fuit.

Malicorium (47). Cortex mali punici: a malo et corio: apud Plin. XXIII 6 57: « ob id malicorium appellant medici; » apud Cels. II 33: « inter ea quae reprimunt, malicorium recenset. »

Manuciolum (63). Vox plebeii sermonis, fortasse a manucio, quam tamen hic haud dubio pusionis strumentis facti significatione Petronius adhibuit. Ab ipsa mihi quidem ital. *manichino*, gall. *mannequin* (Littré 2) hisp. *maniquí*, res de stramentis facta, oriri videtur.

Margaritum (63). Id est margarita: hic appellatio blandientis. Apud Prudent. Psychom. 873: « margaritum ingens. » Sequioribus saeculis margarition etiam invenitur. Cfr. Ducang. Lex.

Martiolum (51). Martiolus est marculum. Docet Reinesius: « Martellorum vox seculo septimo recepta fuit, ad cuius formam fecerunt martiolos. » Sed adnotat Burmannus: « non est vero simile Trimalchionem voce usum, quae sequentibus demum seculis fuit recepta » Martiolum equidem credo in plebeio Augustei seculi sermone iam exstitisse: Trimalchionis dignum inscitia hic verbum mihi videtur. Etiam invenitur apud Ioannem Sarisber. Policr. IV 5: « martiolum de sinu proferens, vitrum correxit aptissime. »

Mascarpionem (134). A mas et carpo, actus masturbandi. Gregor. Turon. hanc dictionem sed pro servo accipit.

Mattus (41). Humectus, emollitus, subactus, maceratus in Glossis Isidori explicatur; in veteris Glossis contra a Turnebo laudatis, tristis exponitur. « Ubi quidam » affirmat Ducange de Petronii loco in Glossar. mediae et infim. latinitat « *matus*

idem putant, quod ad augustias redactus, nostris *maté.* » Cfr. Le Roman de la rose: « Honteux et mat, si me repens » Ex quo mattus forte ital. *matto* e *mattana.*

Maxillae (44). Maxilla est gena. Apud Plin. XI 37 60:« Maxillas crocodilus tantum superiores movet, » et passim; apud Suet. Tib. XXI: « tam lentis maxillis erit. » Cfr. ital. *mascella,* gall. arch. *masselle* et *maiselle.* (In Roman de la guerre de Troyes: « de son frere sait la nouvelle por ce se moille sa masselle).

Menias (58). *Naenias* cum Scheffero et Heinsio restituo. Quae vox eadem contumeliosa significatione saepe occurrit in satiris, ut cap. 46: « invenit tamen alias naenias, » et cap. 47: « gallum enim gallinaceum, penthiacum et eiusmodi naenias rustici faciunt. » Nugas intellego.

Methodio (36). Methodium, graeca vox: μεθόδιον, idem ac ludificatio: videtur genus quoddam ludificationis in theatro fuisse, quod sub fabulae finem ad oblectandos spectatores adhibebatur. Sic apud Suet. « exodium » pro ludificatione theatrali invenitur. Et in notis Tyron. p. 173 « methodia » inter ludi genera recensentur.

Micarius (73). A mica: qui micas avaritiae caussa colligit vel iis vivit. « Fidus tanquam quicum etiam in tenebris mices » Buechelero videtur. Hunc tamen exitum nunquam derivatorum a verbis imo a substantivis adiectivisque esse nostra in dissertatione videbimus: ut a cruce cruciarius, a die diarius, a oraculo oracularius, ita a mica micarius.

Minutalia (47). Res frivolae et inanes. Etiam invenitur apud Tertullianum, de habit. mul. I 6: « et calculos eiusdem terrae minutalia » et apud Hieronym. proem. epist. ad Ephes. « taceo de ceteris minutalibus. »

Miscellanea (50). Varia promiscue et sine ordine, ut apud Gell. « miscellanea et confusa doctrina. »

Miscix (45). Sic ut miscellio apud Festum Pauli p. 123 videtur Antonio: hominem intellego qui non certae sententiae, sed varii mixtique iudicii est.

Molestare (58). Molesto, molestia vexo. Invenitur etiam apud Scribon. Compos. 71: « non raro valde molestat, » et apud Apul. de herb. 71: « mali molestabunt hunc. »

Mufrius (58). Quid verbi sit mufrius frustra eruditi viri indagaverunt. Vox plebeia, cuius adhuc extat vestigium in gall. *mufle* (Cfr. germ. *muffel*) id est os caninum, contumeliose dicta mihi videtur. Valeat tantumdem haec coniectura, quantum mereri videbitur; haud facile mihi dimittitur in Petronii sermone fontem novarum dialectarum quarenti.

Multaciam (30). Permultas huius vocabuli emendationes eruditi viri proposuerunt: *multa ad aciam* vel *per otium multa* Heinsius, *multa etiam* Schefferus, *multas iam* Antonius, *me illas iam* Studerus, *multiciam* incertus apud Orellium p. 3 τὰ πολόμιτα ἐκεῖνα interpretatum, *tam multa actutum* vel *ad tam multa aciem convertere* Iacobsius. Codicis ego scripturam retineo; *multacius* enim soloecismus petronianus, a *multa*, ut balaenacius a balena (cap. 21) aliquid multis factum servis irrogatis significans mihi videtur. Quod facile accipiet qui mente revolvet, quanta semper fuisset Petronio proclivitas ad nova verba cudenda.

Muria (70). Salsugo. Apud Cels. de lienosis IV 9: « edenda sunt salsamenta, vel oleae ex muria dura » aliosque mediae latinitatis scriptores.

N

Naufragarunt (76). Naufragare est naufragium facere. Etiam invenitur apud Sidonium IV 21: « minus naufragat » apud Cyprianum, de orat. domin. « naufragare a fide » et apud Paulinum, carm. XIII: « iam mente naufragaverat. » Vox plebeia, nunquam in usu scriptoribus sani sermonis. Etiam occurrit in infimae latinitatis non nullis locis (cfr. Ducangii Gloss. mediae et infimae latimitatis.

Nesapium (50). Nesapius est insipiens. Apud Q. Terent. Scaurum, de ortogr. « ne pro non positum apud antiquos: sic nefrendes porci... sic nesapius, qui non sapit. »

Notorem (92). Notor qui notitiam rei aut fortunae, velut oculatus testis, profitetur (GLOSS.). Etiam invenitur apud Senecam: « qui notorem dat, ignotus est. »

O

Occuponem (58). Occupo dictus est de Mercurio fure, qui foro et mercimonio praeest. Recte Mercurium Occuponem vocari putat aliquis ab Hermerote, qui religione absterritus non audebat furem dicere, sed molliori appellatione invocat occuponem ab occupando.

Oclopetam (35). Adnotat Buecheler: « et apte quidem vocabulum ab oculis et petendo deductum videtur sagittario convenire, etsi cibum quem illud significet ignoramus. » Venatorum intelligo praedam.

Odaria (53). Graeca vox: ᾠδάρια, id est cantilena; nullum nisi Petronii exstat exemplum.

Offla (56). Pro offula: idem ac frustum carnis, ofella. Apud Varr. L. L. IV 22: « offula dicta, ut offa minima in sue », apud Suet. Claud. XL: « quis potest offula vivere? » aliosque mediae latinitatis scriptores. Qua voce Petronius translate hic usus est

Oliorum (43). Interpretationem Orelli p. 5 *à la fin des fins* comparantis et Wehlii p. 16 *olimorum* proponentis prorsus accipio. Haud necessario, ut Buechelero videtur, vocabulum illud hominem libidinosum denotabat, adfine salacitati; sensus enim nitet ita perlucidus: noveram hominem abhinc multis annis, et adhuc, etsi senectute confectus, salax erat. Cfr. etiam ital. *al tempo de' tempi.*

Oracularios (43). Oracularius est consiliator: auricularius invenitur apud Lambert. Schafnaburg. 1076: « ex his sibi auricularios a secretis, » plerosque alios infimae latinitatis scriptores. Cfr. Ducangii Gloss. med. et infim. latinitat.

Ossucula (65) Idem ac ossicula: ossuculum, parvum os. Apud Plin. XI 37 49: « insunt ossicula parva, » apud Gell. VI 1: « tenuis-

simis minutisque ossiculis. » In inscript. apud Fabrett. 381: « qui ossucula mea hic sita esse gemis. » Haud recte pro osculo interpretatur L. Favre in Ducangii Glossar. Niort, 1886.

Ovillam (56) Ovilla, parva ovis. In vit. S. Romani archiep. Rotomag. III Anecd. Marten. col. 1663: « ni modo subvenias, morior tua, pastor, ovilla. »

Oxycomina (66). Sive oxycominia a graeca voce ὀξυκόμινον sunt muria conditae: vid. ad. Plin. XV 3.

P

Pannuciam (14). Pannucia, diversis pannis obsita (GLOSS.) Sic apud Pers. sat. V: « pannucia Baucis. »

Paralysin (129). Paralysis, graeca vox: παράλυσις, nervorum resolutio. Apud Plin. XX 30 8: « vitiis medetur... et paralysi, » et passim.

Paronychia (31). Graeca vox: παρωνυχία, est pedum sordes. Apud Plin. XXI 20 83: « ad paronychias farina eius utuntur, » et passim.

Paropsides (50). Paropsis, graeca vox: παροψίς, id est lanx, in qua reponuntur obsonia. Apud Martial. XI 27: « cui portat gaudens ancilla paropside rubra alecem » apud Iuven. III, 141: « magnaque paropside cenat. »

Pataracina (41). Locus hic perdifficilis: *patera acina* Schefferus, *amaracina* Gronovius, *pateram vini* aut παῖ θερμὰ οἶνα Jacobsius. Quod idem esse debet ac « staminatas » quas postea Dama potator duxisse narrat: *pateras vini* mihi probandum videtur.

Peduclum (57). Peduclus, id est peduculus vel pediculus. Ex hac syncope ital. *pidocchio*.

Penthiacum (47). Minime sollicitandus hic locus Heinsio videtur; penthiacus enim vocabulum artis culinariae, ut est in Catalect. pithoean. iudic. coci et pistoris: « est Bromio Pentheus,

est et mihi de bove Pentheus. » Idem ac gallus gallinaceus in frustra, quomodo Pentheus olim a Bacchis, laceratus.

Perbasiamus (41) Perbasio, id est valde osculor. Nullum exstat nisi Petronii exemplum. Sic « perosculatur » apud Martial. VIII, 81.

Percolopabant (44) Percolopare a colapho derivatum esse Schefferus vidit: id est frequenter colaphis percutere.

Perfunctorie (11) Languide et oscitanter. Apud Papinian. Dig. XXIX 5 21: « qui non perfunctorie debitum officium impleverant. » Etiam invenitur apud Egesipp. I 17: « non perfunctorie itaque in ipso praelio, » apud Vincent. Lirinens. « perfunctorie prosecutus est. »

Peristasim (48) Peristasis est quod circumstat, argumenti circumstantia: περίστασις. Nullum nisi Petronii exstat exemplum.

Petauristarios (47) Petauristarius idem ac petaurista fertur in not. Tir. p. 173, aliisque mediae latinitatis operibus.

Pharmace (107) Pharmacus est veneficus, sacrilegus, scelestus, ut in glossis. Cfr. Apulei. IX, Heliodor. VIII et passim.

Phialam (51) Phiala est poculi genus: graece φιάλη. Apud Iuven. V 37: « tenet phialas, » apud Martial. VIII 51: « quis labor in phiala, » apud Plin. XXXIII 12 55: « in phialae emblemate ».

Pietaticultrix (55) Est cultrix pietatis. Sic esse legendum patet apud Cassiodor. II 14 apud Aelian. hist. animal. III 24, et passim. Ita etiam apud Phaedr. « nemoricultrix, » apud Catull. « silvicultrix ».

Pigiciaca (140) A πυγίζειν, quod proprie est cum averso coire. Quam positionem puellae super commendatam bonitatem proprie sedentis quaedam in pompeiano lupanare pictura perspicue illustrat.

Plastas (88) Plastes est statuarius: graeca vox: πλάστης; quae etiam fertur apud Vellei. Paterc. I 17: « Hoc idem evenisse grammaticis, plastis, pictoribus, sculptoribus », et apud Vitruvium Pliniumque inveniri potest.

Platanona (126) Platanon, locum platanis consitum. Graeca vox: πλατανῶν. Apud Sidon. VIII 9: « myrtos et platanona pervagatus. »

Plussciae (68). Scientiores. Apud Fest. Querquetul. « quas scias dicimus ».

Podagricum (140). Podagricus est podagra laborans. Apud Cels. « vita quae in podagricis ». Etiam invenitur apud Plinium, Senecamque aliosque mediae latinitatis scriptores.

Polymita (40). Polymitus est multis filis contextus. Graeca vox: πολύμιτος. Apud Plin. VIII 48: « quae polimita appellant ». « Polemitum » in not. Tyr. p. 159. Exstat multis in scriptis infimae latinitatis: cfr. Ducangii Glossar.

Potiunculis (47) potiuncula est parva potio. Apud Suet. Domit. XXI: « ut modicam in ampulla potionem sumeret ».

Praefiscini (73). Adverbium ex prae et fascino ad invidiam deprecandam conflatum. Apud Plaut. Cas. V 2 43: « inde foras tacitus, praefiscini, exeo. »

Prasinianus (70). Qui prasinae favet factioni. Apud Capitolin. Ver. 6: « a populo prasinianorum saepe modius aureorum postularetur. »

Praxim (39). Praxis est actio, virtus: graeca vox: πράξις. Nullum exstat nisi Petronii exemplum.

Promulsidaria (31). Fercula apta sustinendo vasi, in quo promulsis cenae affertur. A promulside; sed haec sana vox, illa saepe usurpata. Cfr. apud Ulpian. de aur. et argent. leg. XIX, 10: « promulsidaria vasa. »

Propudium (99). Propudium, res obscoena, a proh pudor forte oritur: apud Plaut. Mil. II 4 11: « qui propudii me maxime innocentem falso insimulat; » sed ab hoc loco alienissimum mihi oritur: *prope diem*, Richardus; *proludium* tanquam portisculum Bongarsius. *Propitium* ego restitui, *navigationi tempus* subaudiens.

Pultarium (42). Vas est in quo puls coquitur. Etiam invenitur apud Plin. VII 53: « calidam potionem in pultario poposcit. » Vid. etiam ad Cels. II 2. Tamen usus eius etiam ad bibendum contestatur Mart. XIII 8.

Pulvinaris (37). A pulvino, qui lectulus est pluma vel tomento factus. Pica pulvinaris est pica in pulvino sedens, dum picae in cavea custodiuntur.

Q

Quasillarias (182). Quasillariae: genus ancillularum omnium sporcissimum ac despicatissimum (GLOSS.) Quasillaria a quasillo, quia quasillo affixa. In inscript. apud Gruter. DCXLVIII, 5: « musa quasillaria vix. ann. XXX. »

R

Recutitus (68). Exulceratus; sed etiam de Iudaeo, cui praeputium resectum fuit, dicitur. Apud Pers. V 184: « recutitaque sabbata palles, » apud Martial. VII 30: « recutiti Iudaei. »

Ridiclei (57). Ridicleus rustice pro ridiculus, ut alibi offla pro offula, peduclum pro pediculum legitur.

S

Sacellos (140). Sacellus pro sacculo traditur. apud infimae latinitatis scriptorem Alex. Jatrosoph. in Ducang. Lexic. « mirabiliter enim iuvant et de sale sacelli, si quis singulos sacellos salis et ordei torrefactos singillatim imponat. »

Saele (56). Vid. ad **Aecrophagiae.**

Salamandra (107). Huius animalis nomen nunquam exstat apud sanae latinitatis scriptores. Fertur tamen in Martial. Epigr. II 66 « hoc salamandra notet, » Pliniique in N. H. passim.

Saplutus (37). Id est dives: graeca vox: ζάπλουτος. Exstat in not. Tyron.

Satureum (8). De satureo Plinius, Caelius Aurelianus, Apuleius medicus aliique scriptores corruptae latinitatis multa tradiderunt. Σατόριον Graeci, priapiscon Romani appellabant. Quod ita vocatur a satyrorum salacitate; quia concitatricem vim habet satureum.

Saviunculum (66). Id est savillum, genus placentae. Cfr. Caton. R. R. LXXXIV.

Scabitudinem (99). Scabitudo idem ac scabies: hic verum translate a Petronio adhibetur. Apud Maii e Classic. auct. in Ducang. Lexic. « qui ulcera habet in oculis et scabitudines et albuginem. »

Sciniphes (98). Graeca vox: σκνῖφες: musculae permolestae, cinifes. Apud Hieronym. in Ivel. II 25: « cyniphes tam parvi sunt culices. » Sciniphes etiam habet Ioannes de Ianna et Perusinus in Vita B. Columbae V: « deturpat et sciniphex candidum fontem. »

Scobem (68). Scobis et scobs: quae a ligno secato pulvis minutissima decidit, apud plerosque mediae latinitatis scriptores fertur. Cfr. Forcellinii Lexic.

Scordalias (59). Scordalia, a scordalo, rixa rustice appellatur.

Scordalo (95). Scordalus, ferox in Glossis Isid. Quam vocem doctissimus Graevius restituit Sueton. Aug. LXV: « Agrippam ob ingenium scordalum ac ferox abdicavit. » Etiam invenitur apud Senec. ep. LXXXIV: « Tullius cimber et mimus erat in convivio et scordalus. »

Secutuleia (50). Quae virum sequitur libidinis caussa; eadem ratione ac sterteia (cap. 75) formatum hoc verbum videtur.

Semicinctio (94). Semicinctium est zona media. Apud Isid. orig. XIX 23: « minus lata semicinctium. » Etiamnum a Picardis praetenta haec ventri castula *demiceint* appellatur, ut in Ducang. Glossar.

Serisapia (56) A seri quae apud Varronem genus oleris traditur et sapiendo: quod seri sapit. Duplex vocabulum eadem

ratione ac domusio (cap. 46), fulcipedia (cap. 15), larifuga (cap. 57) formatum.

Servitia (107) *Servilia* restituo, vestigia subaudiens. Solum adiectivum, ubi facile substantivum deens intelligi potest, semel occurrit apud Petronium. Cfr. sat. cap. 90: « hac me adventicia excipere frequentia solet, » cap. 31: « inter promulsidaria asellus erat, » et 34: « tengomenas faciamus. »

Sessorium (77). A sedendo: sedes in qua cum lanificiis Fortunata sessionem habebat. In Coel. Aurel. Acut. I II: « vel quolibet sessorio leniter atque mediocriter moveantur; » in Will. Brit. III Philipp. de Ulmo ad Gisortium: « grata viatori sessoria praestat, » aliisque infimae latinitatis operibus.

Sestertiarios (45). Sestertiarius est ad sestertium pertinens: hic translate pro cuius patrimonium sestertio emi potest a Petronio adhibetur.

Sopitionibus (22) Hoc libri ferunt: *sopiti titionibus* in margine Scaligeranus Leidensis, *scriptionib. et sopiti* in margine editin. Tornaesii; *sopitis titionibus* Gruterus; *scopionibus* Heinsius (cfr. Catull. XXXVII); *supini carbonibus* Buecheler. *Sopiti titionibus* ex omnibus libris ego accipio.

Sophos (40). Graeca vox sapienter significans, qua in acclamationibus utebatur populus recitantes aut causas in foro agentes laudans. Apud. Martial. epigr. L: « mercetur alius grandem et insanum sophos, » apud Ciceron. verbum hoc adiectivum exstat in fin. II 8: « praeclare et recte sophos. »

Spintria (113). Qui monstruosas reperiit libidines, a graeco σφιγκτήρ, quo podex vocatur. Apud Tacit. Ann. I 6: « ignota ante vocabula reperta sunt sellariorum et spintriarium, » apud Suet. Tib. XLIII: « monstrosique concubitus repertores, quos spintrias appellabat, » et passim.

Staminatas (41). A graeco σταμνός, urceus, amphora vinaria; cuius vocabuli exstare vestigia mihi videntur gall. *estaminet*, locus aptus potionibus, et neapol. *stainato*, corrupta significatione urceus in quo exta coquuntur.

Statuncula (50). Deminutivum statuae. « Statunculam » habent Gregor. Turon. Hist. Franc. I 5 et Acta S. Thyrsi, 6. In Actis S. Urbani PP, VI Maii: « et statunculam Iovis intuens dixit. »

Stelio (50). Idem et stellio, animal lacertae simile diversis pictum coloribus; quapropter stellio dicitur qui animo inconstans et varius est verbo vel facto. Apud Plin. XXX 10 27: « stellionem nomen aiunt in maledictum translatum, » apud Apul. Met. V: « quibus modis stellionem istum cohibeam? ».

Steriliculam (35). Sterilicula est vulva porcae virginis. Vid. ad Cels. II 23: « ex sue, ungulae, rostra, aures, vulvae sterilesque ». Ab hac voce per deminutionem sterilicula.

Sterteia (75). A stertendo; mulier quae stertit ignava. Sic etiam « locuteleius » apud Gell. I 15, et « secutuleia » apud ipsum Petron. (cap. 81)

Stigmosos (109). Stigmosus: qui stigmate compunctus est. Apud Plin. Ep. I 5: « Vitelliana cicatrice stigmosus. »

Strabonus (68). Idem qui strabo; nullum tamen nisi Petronii exstat exemplum. Quum vero ab antiquis centurionus, curionus, decurionus, ut Festus testatur, qui nunc centurio, curio, decurio dictus esset, a Petronio eadem acceptione strabonus qui strabo dicitur.

Stramenticium (63). Stramenticius, qui stramentis factus. Apud Auct. B. Hisp. 16: « casae stramenticiae ».

Strigae (63). Striga, strix est. Apud Apul. Met. V: « scelestarum strigarum nequitia, » atque in permultis infimae latinitatis operibus.

Strophas (60). Stropha est translate tergiversatio. Apud Plin. ep. I 18: « ego aliquam stropham inveniam, agamque causam tuam. » Usi sunt et Martialis et Seneca et Tertullianus et Cyprianus.

Subolfacio (45). Id est subolet mihi, vel, ut Ammianus, subodoror. Nullum exstat nisi Petronii exemplum.

Sucossi (38) Succosi, succis pleni, divites. Etiam invenitur vox haec apud Columell. IV 29: « firmioris et succosioris, » et apud Seren. VI: « succosae cinerem perducito lanae. »

Suggillare (128). Sugillo et suggillo idem est ac contundo: translate contumelia afficio. Apud Val. Max. III 2: « sugillare crudelitatem alicuius, » et passim. Etiam occurrit apud alios mediae latinitatis scriptores.

Susum (77) In superiore parte aedium: idem quod sursum: archaismus. Et invenitur apud Varron. r. r. 6: « qui colunt deorsum, magis aestate laborant, qui susum, magis hyeme », et apud alios. Tamen exstat apud mediae et infimae latinitatis scriptores. Cfr. Commodian. « susum intendentes, semper Deo summo devoti, » Lactant. de mort. persecut. 19: « Constantinus astabat susum », et alibi.

Synoecio (93). Synoecium vocabatur aedicularum congeries in eadem domo coniunctarum, quae singulatim inquilinis locabantur. Graeca vox: συνοίκιον.

T

Tengomenas (34). A graeco τέγγειν, bibere: τεγγόμενος, η, ον, adiectivum eadem acceptione ac « servilia » (cap. 107) aliaque adhibitum: *res* subaudiendum videtur; hoc est: faciamus res quae inter pocula fieri solent.

Tertiarius (45). Gladiator qui succedebat, iugulatis aliis duobus, et post pugnam duorum cum victore congrediebatur. In Gloss. graeco-latinis: ἔφεδρος, tertiarius, superstes.

Testiculavit (38) Inepte Buecheler in ed. mai. *culavit* a culo derivatum coniecit. Activum verbum pro deponente interdum occurrit in satiris, ut « exhortavit » (cap. 76). Hic *testiculare* quod *testiculari* apud Festum a Paulo citatum: « testiculari est iumentis maribus feminas, vel mares feminis admovere. »

Thraecium (75). Est armatura Thraecis: *instrumentum* subaudio. His adiectivis rustice substantivis communibus carentibus suis, saepe, ut iam vidimus, Petronius noster usus est.

Topanta (37). Graeca vox: τὸ πάντα. Apud Auson. Grat. Act. « unus mihi omnia Gratianus. » Sic etiam apud graecos scriptoribus. Apud Alciphron. II 3: « ἐγὼ γὰρ αὐτῆς ειμὶ πάντα. »

Tonstreinum (46) Tonstreinus a tondendo: vox plebeia: idem ac tonsor. « Tonstrina » est in Plaut. Epid. II 2 13: « per omnem urbem quem sum defessus quaerere, per medicinas, per tonstrinas, in gymnasiis, atque in foro », et passim. Adnotat Buecheler: « cum ex cap. 64 tonstrinum appellari medicum appareat, scaenicum artificem intelligemus ». Sed prave: nescio enim unde tonstreinum hunc ductum Buecheler putet. Scaenicum artificium se didicisse, ipse Plocrimus iam dixerat conceptissimis verbis: « cum essem adulescentulus, cantando paene phthisicus factus sum. » Quid attinebat repetere? Mihi videtur potius hoc cap. 64 tonstrinum, cultus ornamentique curam, quae ad tonsorem pertinet, significare.

Tralaticium (108). Ludicrum (GLOSS.) Apud Cicer. Att. V 21: « cum ego in edicto tralaticio centesimas me observaturum haberem, » et passim.

Tricliniarches (22). Graeca vox: τρικλινιάρχης, servus convivio praepositus, cui ornandi triclinii cura incumbit. In inscript. ap. Gruter. DLXXVIII I, passim, et apud Murator. CMXXIV I.

Tr'stimonio (63). Tristimonium, id est tristitia: apud Hirt. B. Afr. 10: « magno metu ac tristimonia. Sic « alimonium » apud Tacit. Annal. XI.

Tropica (88) conversiones: a τρέπω.

U

Urceatim (44). Plenis urceis. Sic apud Apulei. Metam. IV: « fistulatim » a fistula.

V

Vasculo (14). Vasculum deminutivum vasis. Eadem significatione est apud Plaut. Poen. IV 2 40: « refero vasa salva, » et in Priap. LXX: « grandia Dulichii vasa petisse viri. »

Vavatonem (63). Vavato, a vava, voce infantium adhuc viva in Sicilia Campaniaque: homo ineptus vel fictus pusio.

Venalicia (76). Servorum greges Buecheler explicat, censetque aut *iumentaque* (« venalicia coemo iumenta ») scribendum, aut verbum velut *paro* intercisum restituendum. Intempestiva docti viri coniectura mihi videtur. Venalicia adiective, ut apud Plin. xxxv 18 58: « hoc est insigne venaliciis gregibus, » haud dubio hic adhibuit Petronius. Venalicia iumenta quae non oneranda; sed empta carius vendenda equidem intelligo.

Villicationem (69). Vilicatio et villicatio, a vilico et villico, est praedium rusticum. Apud Columell. xi 1: « qui susceperit officium villicationis, » in Chart. Conrad. ii Imper. apud Browerum iii, Antiquit. Fuldens. 17: « ut omnes villicationes a Laicis reciperet, » et apud alios infimae latinitatis scriptores.

Viridario (·ı). Viridarium est locus amoenus, floribus arboribusque consitus. Unum apud elegantes scriptores exemplum Cicer. Att. iii: « Cyrus aiebat viridariorum: » et alii « radiorum » legunt.

Vitrea (10). Vitrea, orum, sunt vasa vitrea. Hic vitrea adiectivum eadem acceptione ac « servilia » (cap. 107) « frequentia » (cap. 90) « promultidaria » (cap. 31) adhibuit auctor. Apud Martial. epigr. i 42: « sulphurata fractis permutat vitreis, » apud Stat. Sylv. i 6 73: « permutant vitreis gregale sulphur. »

Z

Zelotypos (45). Zelotypus est suspiciosus in amore. Apud Iuvenal. v 45: « zelotypo iuvenis praelatus Iarbae, » apud Quintil. iv 2: « qui zelotypum malae tractationis accusat, » aliosque mediae latinitatis scriptores.

V.

Quae exstant corruptae latinitatis in satirarum sermone, tamen exceptis proverbiis vocibusque rustice inflexis plebeiisque vocalium consonantiumque immutationibus, verba in quindecim classes dividenda ego censeo. Quae classes continent: *a*) verba pro arbitrio copulata; *b*) rustica in *cius, a, um; c*) rustica in *osus, a, um; d*) rustica in *arius, a, um; e*) rustica in *orius, a, um; f*) deminutiva plebeia in *ulus, a, um; g)* deminutiva plebeia in *llus, a, um; h*) verba rustice derivata; *i*) nomina in *onium* rustice derivata; *k*) adiectiva negativa rustice formata; *l*) verba ad impropriam significationem retorta; *m*) verba archaica; *n*) verba mediae latinitatis; *o*) verba graeca vel praeter solitum ex graecis formata; (*p*glossemata.

a) verba pro arbitrio copulata: *adcognosco* (69), *bisaccio* (31), *burdubasta* (45), *caldicerebrius* (45), *circumminxero* (57), *coaequale* (136), *corrotundata* (39), *depraesentiarum* (58), *desomnem* (47), *domusionem* (46), *dupundii* (58), *exopinistent* (62), *expudoratam* (39), *exsibilavit* (64), *exsonuerant* (19), *fulcipedia* (75), *gracilipes* (55), *heredipetarum* (124), *impropero* (38), *larifuga* (57), *mascarpionem* (134), *perbasiamus* (41), *pietaticultrix* (55), *plussciae* (63), *praefiscini* (73), *semicinctio* (94), *subolfacio* (45).

In copulandis his verbis duo patent studia, alterum literarium, alterum rusticum. Hinc magistri atque poetae, fontes urbanae eloquentiae, more graeco; illinc servi

atque liberti, fontes vernaculae asperitatis, more plebeio, insolenter coniunxerunt vocabula. Doctarum autem vocum, quae artificiosius effingebantur (*gracilipes, pietaticultrix*) sequioribus temporibus vestigia evanuerunt; vulgarium e populo ingenua loquendi consuetudine effusorum adhuc in hodiernis non nulla supersunt dialectis (*bisaccium* a *bis* et *sacci,* ital. *bisaccia,* gall. *bésace; burdubasta* a *burdus,* asinus, hisp. *burro,* et *basta,* clitellae, ital. hisp. *basto,* gall. *bât; caldicerebrius,* idem et calidi cerebri, etiamnum dicitur a siculis *cauddu i ciriveddu; expudoratam* ab *ex* et *pudoratus,* ital. *spudorato; impropero* ab *in* et *propero,* ital. subst. *improperio*).

b) rustica in *cius, a, um: pannuciam* (14), *stramenticium* (63), *tralaticium* (108), *venalicia* (76), *balaenaciam* (21).

Hic exitus adiectivi rationem materiemve designans aliquantum mutatus exstat in novis dialectis (*pannucia,* gall. arch. *panufle* pro veste scilicet detrita in Roman de la rose: " l'on te devroit en un putel, toueiller comme un viés panufle; " *tralaticium,* it. *tralatizio.* Cfr. Plaut. *ficticius,* ital. *fittizio,* gall. *fictice,* hisp. *ficticio.*

c) rustica in *osus, a, um: calcitrosi* (39), *dignitosso* (57), *fastose* (131), *lacticulosus* (57), *linguosus* (43), *stigmosos* (109), *sucossi* (38).

Hic exitus adiectivi qualitatem possessionemve designans aliquantum mutatus exstat in novis dialectis. Et quoque horum verborum non pauca supersunt (*calcitrosi,* ital. *calcitroso; dignitosso,* ital. *dignitoso; fastose,* ital. hisp. *fastoso,* gall. *fastueux; linguosus,* ital. arch. *linguoso; sucossi,* ital. *succoso,* hisp. *sucoso*).

d) rustica in *arius, a, um: antescholarius* (81), *cruciarius* (112), *diaria* (24), *donaria* (59), *dupunduarius* (58),

laserpiciario (35), *micarius* (73), *oracularius* (43), *petauristarios* (47), *promulsidaria* (31), *pultarium* (42), *quasillarias* (132), *sestertiarios* (45), *tertiarius* (45), *viridario* (9).

Hic exitus substantivi et adiectivi artem conditionemve designans aliquantum mutatus exstat in hodiernis dialectis. Et quoque horum verborum non nulla supersunt (*diaria,* ital. hisp. *diario; tertiarius,* ital. *terziario,* hisp. *tercero,* gall. *tertiaire; viridario,* ital. *verziero,* hisp. *vergel,* gall. arch. *vergier,* gall. hod. *verger*).

e) rustica in *orius, a, um: barbatoriam* (73), *camatoria* (21), *defunctorio* (136), *discoloria* (97), *perfunctorie* (11).

Hic exitus substantivi et adiectivi usum qualitatemve designans aliquantum mutatus exstat in novis dialectis; sed nulla horum verborum vestigia nisi *barbatoriae,* gall. arch. *barboire,* quae est barbae recisio, manent.

f) deminutiva plebeia in *ulus, a, um: aliculà* (40), *amasiuncula* (75), *audaculus* (63), *comula* (58), *ossucula* (65), *peduclum* (57), *potiunculis* (47), *saviunculum* (66), *statunculam* (50), *sterilicula* (35), *vasculo* (24).

Hic exitus deminutivi aliquantum mutatus exstat in hodiernis dialectis. Et quoque horum verborum *peduclum,* ital. *pidocchio,* hisp. *piojo,* gall. *pou; vasculum,* ital. *vascolo,* hisp. *vasija,* exstant.

g) deminutiva plebeia in *llus, a, um: arietilli* (39), *capsella* (67), *cingillo* (67), *ovillam* (56), *sacellos* (140).

Hic exitus deminutivi exstat in hodiernis dialectis; etiam si horum verborum nulla supersint vestigia.

h) verba rustice derivata: *abstinax* (42), *aeneolos* (73), *anatinam* (56), *aucupes* (40), *cantabundus* (61), *canturire* (64), *cardeles* (16), *deversitor* (95), *dispare* (46), *fla-*

turae (45), *fugae* (45), *ipsimi* (63), *levatores* (140), *lupatria* (37), *maiiesto* (57), *miscix* (41), *naufragarunt* (76), *occuponem* (58), *podagricum* (140), *prasinianus* (70), *pulvinaris* (37), *ridiclei* (57), *scabitudinem* (99), *secutuleia* (81), *sterteia* (75), *testiculavit* (38), *urceatim* (44).

Exstant in novis dialectis *cardelis* pro carduele, ital. *cardello; levator*, gall. en]*leveur*, latro (*lever, enlever*, furari); *lupatria* a quo fortassis ital. *lupastro* (Fresc. Viagg. 116 " salvo che que' lupastri si pascono di ciò); gall. *louvart; naufragare* pro naufragium facere, ital. *naufragare*, gall. *naufrager*, hisp. *naufragar; podagricus* pro podagroso, ital. *podagrico; urceatim* plovere, ital. *piovere a orci* (Fanfani).

i) nomina in *onium* rustice derivata: *gaudimonio* (61), *tristimonio* (63).

Hic exitus tantum exstat in hodiernis dialectis (cfr. ital. *comprendonio*).

h) adiectiva negativa rustice formata: *indelectatus* (57), *inspeciosus* (74).

Haec ratio negationis in hodiernis dialectis frequenter occurrit. Exstat *indelectatus* in gall. *indélectation* (Littré).

l) verba ad impropriam significationem retorta: *arbor* (114), *lapidabit* (114).

Exstant in novis dialectis *arbor* navis pro *malo*, ital. *albero*, hisp. *arbol*, gall. *arbre du navire* (Littré).

m) verba archaica: *absentivos* (3), *adiutasses* (62), *amplexaret* (63), *convivare* (57), *debattuere* (69), *margaritum* (63).

Quaedam plebeia apud archaicae notae scriptores iam inveniuntur; cum enim verborum delectus, qui latinum Augustei temporis sermonem studiose expolivit, posterio-

ribus quidem saeculis neglectus fuisset, eadem in libris revertuntur maculosae latinitatis. Ita haec verba non minus apud Ennium, Accium et Pacuvium quam in Petronii, Martialis et Apuleii scriptis occurrunt. Quod vestigia testantur in novis dialectis, a plebeio sermone non ab archaico ortum ducentibus, remansa. Sic *adiutare,* ital. *aiutare,* gall. *aider* (cfr. coniugat. verbi *aidier* in Romania, VII, pag. 420 segg.) et *adjutant,* hisp. *ayudar; convivare,* ital. *convivare; debattuere,* ital. *dibattere,* gall. *débattre,* hisp. *debatir.*

n) verba mediae latinitatis: *barbis* (99), *besalis* (58), *botulis* (49), *buccam* (44), *bucinus* (74), *caricae* (45), *carnarium* (45), *catomidiari* (132), *cauniarum* (44), *circitore* (53), *coctores* (95), *coci* (47), *concepti* (33), *consiliator* (76), *constratum* (100), *epidipnis* (69), *fericulus* (39), *ferruminati* (31), *ferrumine* (102), *fuliginea* (108), *gausapa* (21), *gausapati* (38), *gizeria* (66), *graeculio* (76), *impropero* (38), *lamellulas* (57), *laniones* (39), *malicorium* (47), *martiolum* (51), *maxillae* (44), *minutalia* (47), *molestare* (58), *muria* (70), *nesapium* (50), *notorem* (92), *offla* (56), *oxyconium* (66), *paropsides* (50), *phialam* (51), *recutitus* (68), *salamandra* (107), *satureum* (8), *scobem* (68), *scordalia* (59), *scordalo* (95), *sessorium* (77), *spintria* (113), *staminatas* (41), *stelio* (50), *strabonus* (68), *strigae* (63), *strophas* (60), *suggillare* (128), *susum* (77), *trhaecium* (75), *tonstreinum* (46), *vilicationem* (69), *vitrea* (10), *zelotypos* (45).

Exstant in novis dialectis *botulus,* ital. boldone (*botulone, bodlone, boldone,* ut ego suspicor), gall. *boudin* (*botulin*), *bucca,* ital. *bocca,* gall. *bouche,* gall. arch. *buche,* hisp. *boca; bucinus,* sicul. *bucinaru,* id est clamator, ital. *bucinare* et *bucinatore,* hisp. *bocinar* et *bocinero,*

clamitare et clamator; *carnarium,* ital. *carnaio,* gall. *charnier,* gall. arch. *carner,* hisp. *carnero; cocus,* ital. *cuoco; conceptus,* ital. *concetto* (pro fetu latente), gall. *conçu,* hisp. *concepto; consiliator,* ital. *consigliatore; fericulus,* ital. *ferculo; gausapa,* a quo fortassis gall. arch. *gauppe,* meretrix, hisp. *guapo* ex quo neapol. *guappo* et *guappa,* homo et mulier nefariis moribus; *gizeria,* pro intestinis gallinarum, gall. *gésier,* sicul. *giseri; improperare,* ital. *improperare,* gall. *impropérer,* hisp. *improperar; malicorium,* ital. *malicorio,* gall. *malicorium,* hisp. *malicorio; maxilla,* ital. *mascella,* gall. arch. *mascelle* et *maiselle; minutalia,* ital. *minutaglia* (quod et Diez in Gramm. adnotavit); *molestare,* ital. *molestare,* gall. *molester,* hisp. *molestar; muria,* ital. sala]*moia,* sicul. sar]*mura,* gall. sau]*mure,* hisp. sal]*muera; offla,* id est offula, ital. *offella; phiala,* ital. *fiala,* gall. *fiole; salamandra,* ital. *salamandra,* gall. *salamandre,* hisp. *salamandra; satureum,* ital. *satirio,* gall. *satyrion,* hisp. *satirion; staminata,* neapol. *stainata,* magnum vas, gall. immutata significatione *estaminet; stelio,* ital. *stellione,* gall. *stellion,* hisp. *estelion; striga,* ital. *strega; suggillare,* ital. *suggellare,* hisp. *sigilar; susum,* ital. *suso,* sicul. *susu,* gall. *sus; vilicatio,* ital. arch. *villicazione* (in Reg. S. Benedict. xiv sec.).

o) verba graeca vel praeter solitum ex graecis formata: *aedon* (131), *agaga* (69), *aginavi* (61), *alogias* (58), *anathymiasis* (47), *apoculamus* (62), *apodixin* (132), *apophoreti* (40), *athla* (57), *automatum* (50), *cataphagae* (39), *catastropha* (54), *chiramaxio* (28), *choraulen* (53), *clibano* (35), *colaepio* (70), *coptoplacentis* (40), *cordacem* (52), *corymbio* (110), *daphnona* (126), *elegidarion* (109), *embasicoetan* (14), *euripo* (36), *excatarissasti* (67), *embolum* (39), *garum* (36), *gastris* (70), *halosin* (89), *hy-*

pogaeo (111), *laecasin* (42), *methodio* (36), *odaria* (53), *paralysin* (129), *paronychia* (31), *percolopabant* (44), *peristasim* (48), *pharmace* (107), *pigiciaca* (140), *plastas* (88), *platanona* (126), *polymita* (40), *praxim* (39, *saplutus* (37), *sciniphes* (98), *sophos* (40), *tricliniarches* (63), *tropica* (88), *synoecio* (94), *topanta* (37).

Et horum verborum, quae in artificioso magistrorum ac poëtarum sermone occurrebant, omnino evanuerunt; quae in plebeio graecissantium servorum ac libertorum non nulla supersunt: *agaga*, a quo fortasse eadem obscoena significatione gall. pleb. *gaga; aginare*, ab αγίνειν, properare, ital. arch. *agina* et *aina* (cfr. Dant. Alligh. de vulg. eloq. I 11), hisp. arch. *agina* (cfr. Fuero Juzgo, Madr. 1815) et hodie *ahina* id est properatio; *automatum*, ital. *automato*, gall. *automate*, hisp. *automata; catastropha*, ital. *catastrofe*, gall. *catastrophe*, hisp. *catastrofe; clibanus*, ital. *clibano* (in Tolosan. Sfera, 49, 2, " Hierapoli città sul monte Libano, Casio e Carmelio, che forma han d'un clibano); *cordax*, ital. *cordace* vel *cordacismo* (Salvini. Casaubon.); *garum*, ital. *garo*, hisp. *garo; gaster*, ital. arch. *grasta* (Boccacci), sicul. *grasta; hypogaeum*, ital. *ipogeo*, gall. *hypogée; paralysis*, ital. *paralisi*, gall. *paralysie*, hisp. *paralisis; paronychia*, ital. immutata significatione *paronichia* (Fanfani); *pharmacum*, ital. *farmaco*, hisp. *fármaco; polimitus*, ital. *polimito*, hisp. *polimito*.

p) Glossemata: *aecrophagie* (56), *archisellium* (75), *babeacalis* (37), *bacalusias* (41), *bacciballum* (61), *baliscus* (42), *barcalae* (67), *bonatus* (74), *caccitus* (63), *cicaro* (46), *deurode* (58), *gingilipho* (73), *manuciolum* (63), *mattus* (41), *menias* (58), *mufrius* (58), *multaciam* (30), *oclopetam* (35), *oliorum* (43), *pataracina* (41), *penthiacum*

(47), *saele* (56), *serisapia* (56), *servitia* (107), *sopitionibus* (22), *tengomenas* (34), *vavatonem* (63).

Haec verba in manuscriptis valde mendosa patent; tamen pleraque restituere et explicare novarum dialectorum auxilio conatus sum: *babaecalus,* a quo fortasse hisp. *babieca,* id est insipiens; *bacciballum,* vox haud dubio composita, fortasse e *ballum* a πaλλα, ital. *balla*, et *bacca,* uti caro fortasse rustice vocabatur, cfr. sicul. *bacchiara*, carnosa, subpinguis; *bonatus* a bono, ital. ab[*bonato*, gall. *bonassé,* hisp. a[*bonado; manuciolum,* ital. *manichino*, neapol. *manucolo*, gall. *mannequin*, (Littré, 2) hisp. *maniquí,* res de stramentis facta; *matus* ital. *matto*, id est amens, gall. *maté* (Ducange, haud vero probabiliter); *naenia,* cfr. ital. *nenia; mufrius* a quo, ut opinor, gall. *mufle; vavatonem* a vava voce infantium adhuc viva in Sicilia et Campania, ubi etiam *bubbassuni* a βαβάζειν, ut puto, de inepto homine dicitur.

VI.

Sordes referre omnes grammaticas qua harum satirarum utuntur colliberti non possum. Modo occurit intempestive accusativus: *accedo aniculam* (6), *admissus Caesarem* (51), *Africam ire* (48), *neminem nihil boni facere* (42), *aediles male eveniat* (44), *ita meos fruniscar* (44), *sic peculium tuum fruniscaris* (75), *cave maiorem maledicas* (58), *maledic illam* (96), *persuadeo hospitem* (62), *te persuadeam* (46); modo insolenter adverbium adhibetur: *dispare pallavit* (46), *sit vinearun largiter* (81), *belle erit* (46), *bene fuit* (65), *suaviter sit* (75), *solebas suavius esse* (61 64), *aeque est ac si* (42), *tam fui quam vos estis* (75); modo constructio clauditat: *valebat bovem iratum tollere* (63), *oculum bublum vidi maiorem* (44), *satius est rideri quam derideri* (61), *nec tamen derisit* (62), *ergo me derisit* (100), *destinavi illum artificii docere, praeconem aut causidicum* (46), *aratro domefacta tellus* (99), *effluunt vinum amphorae* (71), *quia enim* 51), *est te videre?* (67), *nunc erat submittere* (126), *exitum facere* (2,45), *omnia ad se fecerunt* (38), *fecit assem* (61), *facere meiere* (62), *facere rebus veneriis* (45 87), *fit cenatur* (38), *faciatur* (71), *faxo sciatis* (95), *omne genus poma volo sint* (71), *non sum de gloriosis* (75), *in controversiam esse* (15), *fui in funus* (42), *videbo te in publicum* (58), *voca cocum in medio* (48), *aeque unum lactem biberunt* (71), *suadeo non patiaris* (74 75), *nemini*

nihil satis est (76 cfr. 42 58), *sustuli me de negotiatione* (76), *panem autopyrum de suo sibi* (66), *sua octingenta possidet* (38), *sestertium suum vidit decies* (38), *velit nolit* (71), *non velit sibi male* (38) *vis tu adhortantis* (111); modo nomina verbaque rustice inflectuntur; nomina: *intestinas* (76), *rapam* (66), *schemas* (44), *stigmam* (45 69), *strigae* (63), *faciatur et triclinia* (71), *balneus* (41), *caelus* (39 45), *candelabrus* (75), *fatus* (42 71), *fericulus* (39), *lorus* (57), *vasus* (57), *vinus* (41), *concepti* (33), *lasani* (47), *strabonus* (68), *cornum* (39), *thesaurum* (46), *vasum* (51), *libra rubricata* (46), *nervia* (45), *quisquilia* (75), *statuncula* (50), *Iovis* (47 58), *bovis* (62), *lactem* (71), *lacte* (38), *porticos duos* (77), *munus excellente* (45 66), *sanguen* (59), *stips* (43), *non gusti fuit* (76), *pauperorum* (46), *a diibus* (44), *Phileronem* (46), *Niceronem* (63), *Apelletem* (64), *o mi hospites* (116); verba: *cum delectaretur dominam* (45 64), *me studia fastiditum* (48), *pudeatur* (47), *qui rideatur alios* (37), *somniatur* (74), *argutat* (46 57), *amplexaret* (63), *convivare soles* (57), *exhortavit* (76), *naufragarunt* (76), *defraudit* (69), *olunt* (50), *vetuo* (53 47), *faxo* (85), *parsero* (58), *vinciturum* (45), *adiuvaturos* (16), *fefellitus* (62), *domata* (74), *faciatur* (71), *suum propinasse* (28), *meum intelligere* (52), *qui mori timore nisi ego?* (61).

Caeterum haec rustici vitia sermonis vix immutata in novis dialectis resident. *Maledicere*, *persuadere* cum accusativo apud Italos Gallosque etiamnunc adhibetur; *valere, destinare, facere* cum infinitivo, *velle* cum subiunctivo in sermonibus Italorum, Gallorum Hispanorumque hodie saepissime occurrunt. Addenda sunt: *quisquilia,* ital. *quisquilia; Iovis, bovis, lactem, excellente, sanguen*, quae magis accedunt ad nova ital. *Giove; bove,* gall. *boeuf;*

ital. *latte,* gall. *lait,* hisp. *leche;* ital. *eccellente,* gall. *excellent*, hisp. *excelente;* ital. *sangue.* Sic etiam *convivare soles* ital. *suoli convitare,* hisp. *soles convidar; domata,* ital. *domata*, hisp. *domada* exstant. Ac eadem ratione in satiris *sua octingenda possidet*, *sestertium suum vidit* dicitur qua a Gallis hodiernis possessivum, velut pleonasmus, adhibetur.

Post tot praefationes, lectiones et dissertationes, quibus viri eruditi Petronium eiusque satiras excutere conati sunt, vacuum et vix ineptum videri potuisset te, amice lector, hac nova dissertatione morari. Quaedam autem praemonenda duxi, quibus et meam de satirarum sermone sententiam et rationem quam in meo indice habui, aperirem. Hodiernae auxilio philologiae non nulla quae dubia vel obscura videbantur, ego illustravi; alii, eadem methodo, maiora detegent.

Scribebam Romae mense Iunii MDCCCLXXXVII.